

S V M M A
B V L L A R I I ,
S E V
C O N S T I T U T I O N V . M

QVÆ POST IVRIS CANONICI LIBROS
A SVMMIS PONTIFICIBVS, VEL, BX EORVM
authoritate, à S A N G T I S C O N G R E G A T I O N I B V S, ET ALIIS; ad
nostra usque tempora in Ecclesiæ communem obseruantiam emanarunt.

A D. STEPHANO QVARANTAI. V. D. Canonico, & Indice Synodali Nea-
politanu magna lucubratione composita, & ab eodem, necnon à D. PROSPERO
DE AVGVSTINO I. V. D. Presbytero Neapolitano perutilibus
additionibus, & adnotacionibus illustrata.

Quatuor utiles tractatus quos anteà idem Quaranta scotsim ediderat, I. De rebus Ecclesiæ
non alienandis. II. De Archiepiscopali authoritate. III. De Concilio Provinciali.
IV. De Officio & Potestate Capituli Sede vacante, in suos locos sub
serie Alphabetica inserti sunt.

Cum eiusdem Authoris Indice duplici: Vocabulorum sine Titulorum Vno: Rerum notabilium Altero.

Ad calcem addita est caruenda Constitutionum ad modum Extravagantium communiam: Sacri etiam
Consilij Trid. ad Decretalium titulos, brevis, sed non infructuosa eiusdem Authoris redactio.

Huc editione postrema huius Summæ titulis aptata est Constitutionum quarundam appendix, qua post Authoris
exulgatum opus a felic. mem. P A V L O V. Sum. Pontif. promulgata fuit.

det le Libreria R.



L P G D V N I
S V M P T I B V S A N T O N I I P I L L E H Q T T E,
Sub signo Sanctissimæ Trinitatis,

M. D C. XXII.

P E R M I S S U S V P E R I O D U M



ILLVSTRISSIMO, ET
REVERENDISSIMO D. OCTAVIO
AQVAVIVÆ S. R. E. CARD.
AMPLISS.

CVM multi iam anni sint (Cardinalis Amplissime) quibus mihi cum Stephano Quaranta, viro vita integritate, ac doctrina conspicuo, non leuis intercessit consuetudo; Cumque is in causis Ecclesiasticis dijudicandis domi, forisque, diu multumque versatus esset, & ob id maximam Apostolicarum Constitutionum, tum veterum, tum nouissimarum, adeptus esset cognitionem, videretque quantam utilitatem omnibus, & præcipue Ecclesiasticis allaturus esset; si eas in unum redactas, Summistarum more colligeret; atque ita eas ex immenso penè Bullarij Oceano liberatas, paruula hac rate ad tutum, tranquillumque cognitionis portum perduceret, hisce ipse stimulis cœcitatus, nēpe publicæ utilitatis, confecit hanc Summulam ad totius Pontificij iuris Constitutionum que nouissimarum scientiā illustrandam, accommodatā. Qua in re me qui eo doctore vſus plurimū profeci, voluit studiorum socium adhibere, atque calcaria, ut ita dicam, addendo, effecit, ut has additiones perficerem; quae, qualescumque illæ sint, tibi dicandas esse una cum opere destinaui, magnum inde fulgorem consequuntas, si illustrata tui nominis gloria ederentur. Hoc ipsum, ut facerem, author tui amantissimus, ac pariter obseruantissimus, maximè gratum se habere ostendit. Vrgebat namque, & quasi iure debitū exigebat, non nisi te unū hac nostra temestate penè esse superstite, qui clarissima ex familia ortus, in Amplissimo isto purpuratorū Senatu, heroicis virtutibus, & consilijs magnitudine prestas, rebus



P R A E F A T I O.

VANQVAM neminem fore arbitror, qui vel debilitate intellectus p̄speditus, vel temeritatis furore praeoccupatus affirmando simplicium mentibus insinuare, iisque ut suæ plausibili, nihilominus errore, & omni studio ab hominum consortio procul relegandæ opinioni calculum addant, multis variisque verborū pigmentis persuadere audat, quod qui ab initio iura, Politico ad bene tranquilleque viendum, & ad conseruandam hominum societatem inter ipsos admodum necessaria constituerunt, aut etiamnum pro communis publicæ vñionis, & concordia bono statuunt, & promulgant, dum alia subinde aliis vel abrogando, vel innouando, vel interpretando sustinaerint, inconstantia laborasse, & multitudine ac superfluitate legum subditos onerasse: attamen si quispiam eiusmodi p̄econcepto errore imbutus reperiatur, maximè cum à plerisque absurdæ, atque paradoxa multo facilius arripiantur, ac approbentur, quam felicius negligantur, & extirpentur, huic nunc temporis neque melius responsum dare, neque salubribus consilium ad se corrigendum, & ab illo erroris laqueo liberandum communi-care valemus, quam quod Summus Pontifex in cap. Non debet. De consanguinitate, & affinitate, subministrat, dum inquit. Non debet reprehensibile iudicari si secundum varietatem tēporum statuta quandoque varientur humana, p̄fessim cum vrgens necessitas, aut euidens utilitas id expositit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in novo. Egregia certe vox, & à quolibet, ne de Sacrarum legum conditoribus, & cæteris Superioribus tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus Potestatibus, quibus à D E O O P T I M O M A X I M O libera facultas ius dicendi, & exercitium iudicandi propter bonorum defensionem, & malorum coërcitionem cōcella fuit, male sentire, aut perperam loqui audeat, ambabus vlnis amplectenda, memorie infigenda, & perpetuò mente recolēda. Ex eo enim satis supérque apparet, qua de causa, quibusve rationibus moti fuerint quandoque legumlatores, vt quæ prius constituta non sine maturo consilio ab ipsis sint, tam ampliando, quam restringendo in meliorem concordantiam reformauerint. Nam cum humani casus non semper uno eodemque contingere modo soleant, sed instar Lunæ modo in excelsum, vel defectum declinent, aliter fieri non potuit, vt emergente aliqua facti contingentia, quæ in promulgata lege non comprehendetur, neque per extensionem congruam, ac rationabilem per illam decidi poterat, quin noua lege inuenta, sanctiāque remedium nouo casui, maloque exorto adhiberetur, ad quod aggrediendum illos summa quadam necessitate compul-sos fuisse nemo sanæ mentis inficias ibit. Quo facto cum posteriores leges prioribus derogauerint, illæ his omne robur, viam, ac potestatem, quam in omnes, qui parere tenebantur sub comminatione violationis exercebant, admetuerint, atque hoc pacto in desuetudinem abierunt. Quibus non paruum adminiculi



APPENDIX
AD SVPERIOREM
SVMMAM EX CONSTITVTIONIBVS
FOEL.RECORD.SANCTISS. DOMINI
NOSTRI PAPÆ PAVLI V.

Ad Titulum, Agnus Dei. pag. 10. Add.



V o d Sacrum opus, Agnus Dei in cera signandi, & fractum renouandi perpetuò spectet ad monachos dumtaxat Congregationis B. MARIAE Fuliensis in Urbe Cisterciensis Ordinis Sancti Benedicti extat Bulla Pauli Papæ V. Quæ incipit, *Romanum decet Pontificem.*
Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 28. Martij 1608.
Pontificat. anno 3.

Qua confirmatur voluntas Clemen. VIII. & Leonis XI. Qui eos ad hoc munus iam commiserant.

Ad titulum Ambitio. pag. 41.

COntra Canonicos Regulares Cōgregationis S. Saluatoris Ordinis sancti Augustini dignitates & officia ipsius Ordinis, conquisitis extra Religionem fauoribus ambientes, eorumque complices & fautores; Bulla eiusdem Summi Pontificis, quæ incipit *Quoniam nemo debet.* Dat. Romæ apud S. Mar-
cum, &c. die 22. Septembris 1607. anno tertio.

Qua omnes eiusdem Congregationis in posterum ambientes Principum, ac etiam Cardinalium fauoribus dignitates & officia eiusmodi, illorumq; cōpli-
ces & fautores ad quascumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, hono-
res, administrationes & munera in ipsa Congregatione obtinenda, perpe-
tud inhabiles declarantur, ac obtentis ipso facto priuantur, ac priuatis voce
actiua & passiua carcere decernuntur.

Alia Bulla eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Pauli V. contra Fratres
Prædicatores Ordinis S. Dominici. Qui ad effectum consequendi officium
Magistri generalis pro se, vel aliis ad fauores extra Religionem recurunt, vel
aliis minus legitimis viis & modis illad obtinere querunt. Incipit, *Admone-
mur Pastoralis.* Dat. Romæ apud sanctum Petrum, die 7. Ianuarij 1608. anno
tertio.

Qua referuntur aliae duæ literæ, datæ in forma Brevis Prioris, Gregorij de-
cimi tertij Papæ die 5. Iulij 1580. anno Pontificatus sui 9. quibus Magistro ge-
nerali ac Provincialibus & reliquis Ordinis supradictis Prælatis mandatur, ne
ad instantiam & requisitionem quaruncumque personarum extra supradictum